

neat, ea tamen quæ sunt fidei contemptibiliter et contumeliose, quasi essent vituperabilia, profert.

Dico 3º : Blasphemia est ex genere suo gravissimum peccatum mortale¹, nec fieri potest veniale ex parvitate materiæ, sed solum ex indeliberatione involuntaria actus.

Patet prima pars, 1º ex gravissimis pœnis quibus punitur². In veteri lege, *Levit.*, xxiv, 16, blasphemus lapidatur. In jure canonico plures pœnæ statuuntur contra blasphemos, quas si refugiant, sepultura ecclesiastica sunt privandi, cap. *Statuimus*, tit. *de maledicis*, lib. V *Decretal.*, et alibi. 2º Quia graviter repugnat charitati, eum sit contra excellentiam divinæ bonitatis ; item opponitur fidei et religioni, ut mox dicam.

Patet etiam secunda pars ; quia, quantumvis quid secundum se leve dicatur, ut Deus dehonoretur et vilipendatur, est semper gravissimum malum.

Patet pariter tertia pars ; quia in omni genere peccati indeliberatio involuntaria excusat a toto vel tanto peccato, quia ex ea fit quod actus non sit perfecte humanus.

Dixi « indeliberatio involuntaria ; » quia, si sit ex consuetudine quam blasphemus non curat pro viribus eradicare, non excusat a mortali, quia est voluntaria in causa, scilicet in ista consuetudine voluntaria. Ad hoc advertant confessarii.

Potes cui virtuti opponatur blasphemia.

Resp. Quatenus continet implicite vel explicitè falsum de Deo, opponitur confessioni fidei ; quatenus est Dei inhortatio, opponitur religioni, cuius objectum formale est cultus et honor Deo reddendus.

1. *Ibid.*, a. 2, o et ad 3. — 2. *Ibid.*, in arg. *Sed contra.*

TRACTATUS

DE REGULIS FIDEI

Numerantur quinque Regulæ fidei : duæ inanimatæ, scilicet Scriptura et Traditio ; tres animatæ, quæ melius dicerentur judices, scilicet Ecclesia, summus Pontifex et Concilium generale.

[Cum vero in Scriptura sacra et traditione contineatur divina Revelatio, quæ ab Ecclesia, a summo Pontifice et a Concilio generali vel exponitur, vel declaratur seu explicatur, utiliter his regulis fidei dissertatio specialis de Revelatione divina præmittetur.]

DISSERTATIO I

DE DIVINA REVELATIONE

ARTICULUS I

De natura revelationis divinae

Revelatio generatim est veritatis occultæ vel facti ignoti manifestatio.

Si revelatio a Deo ipso atque extraordinario seu supernaturali modo, præter consuetum ejus providentiae ordinem, fiat, divina nuncupatur.

Porro revelationis divinæ duplex objectum esse potest. Quædam enim sunt veritates ad quas etiam ratio naturalis pertingere potest; sed, quia hæc ratio peccato debilitata etiam in his frequenter hæsitare et etiam penitus errare potest, hujusmodi veritates facilius, clarius et certius ope revelationis cognoscuntur, ut diserte probat Doctor Angelicus, lib. I *Contra gentes*, cap. 3 et 4. Et idem docet synodus Vaticana, constit. *Dei Filius*, ubi legitur: « Divinæ revelationi tribuendum quidem est, ut ea quæ in rebus divinis humanæ rationi per se impervia non sunt, in præsenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint. » Sunt etiam veritates quarum cognitione intellectus creati perspicaciam omnino exsuperat, uti sunt dogmata quæ proprie mysteria vocantur. Et evidenter patet has veritates nonnisi Deo revelante creature intellectuali cuicunque manifestari posse.

Possunt autem aliquæ veritates a Deo revelari vel omnibus hominibus indiscriminatim, vel homini singulari aut aliquibus tantum, ut per hunc vel illos cæteri edocantur. Si priori modo, quo revera nunquam usus est Deus, fieret revelatio, *generalis* ac *communis* vocaretur; si vero posteriori, dicenda est *peculiaris* ac *privata*. Revelatio a Deo alicui facta, nullo alio interposito, est *immediata*; cum ad alios pervenit per eum quem Deus elegit, est *mediata*.

Jam vero ex incredulis alii sunt qui possibilitatem quamcumque revelationis negant; alii ut nullatenus accommodatam homini traducunt revelationem medium, alii denique revelationem tantummodo mysteriorum veluti impossibilem impugnant.

Hi omnes sequentibus articulis refellentur.]

ARTICULUS II

Utrum possibilis sit divina revelatio immediata?

[*Resp.* affirmative.

Prob. Possibilis censenda est divina revelatio, si non

repugnet neque ex parte Dei revelantis, neque ex parte hominis revelationem excipientis, neque ex parte rerum revelatarum. Atqui nulla ex parte repugnat. Ergo.

Prob. prima pars minoris. Cum Deus infinite sapiens sit et potens, ad eum pertinet judicare an sit opportunum, imo et necessarium, ut creaturis suis veritates ex natura sua absconditas manifestet, innumerosque habet in promptu modos quibus ea quæ ad se spectant, vel voluntates suas patefaciat. Nec quisquam, nisi atheus, id est demens, sit, hoc negabit, neque etiam in dubium vocabit. Si enim homo quilibet alteri homini cogitationes suas omnes aperire possit, cur Deo hoc impossibile erit?

Prob. secunda pars. Homo intelligentiam et rationem a Deo non accepit, nisi ut percipiat veritatem, cuius ipse Deus est fons unicus et essentialis. Nihil ergo ex ejus parte obstat quominus veritates quaslibet a Deo propositas excipiat, sieut et quæcumque solent homines sibi invicem communicare.

Prob. tertia pars. Si veritates quædam ad perfectiorem Dei cognitionem et ad ejus majorem gloriam conferant, sieut et ad hominum utilitatem, nihil impedit quin objectum divinæ manifestationis fiant, ut patet.

Hæc confirmantur ex communi hominum sensu, qui nullam unquam repugnantiam in hujusmodi revelationibus deprehenderunt, imo eas necessarias judicarunt, uti constat ex historia omnium gentium, que revelationes sive veras sive fictas admiserunt. Ergo.

Obj. Divinam majestatem se eo usque demittere, ut creature miseras alloquatur. Ergo.

Resp. Deum non dedecuit hominem condere, et quidem ut eum ad felicitatem perduceret. Nedum ergo eum dedecat homini viam tutam ad finem suum indicare, quam iste solus non inveniret, hoc divinæ sapientiae et bonitati maxime consentaneum est.]

ARTICULUS III

Utrum possibilis sit divina revelatio mediata?

Resp. affirmative. Ea scilicet possibilis est revelatio, qua alii homines revelatas divinitus veritates edoceantur per alios, qui eas a Deo immediate acceperunt.

Prob. Demonstratum est possibilem esse divinam revelationem immediatam. Atqui nihil impedit quin homo aliis communicet veritates quas divinitus accepit: et in hoc consistit revelatio mediata. Ergo possibilis est revelatio mediata.

Si quæ difficultas occurrat, ea non tam ex parte rei exsurgit, quam ex parte cæterorum hominum, qui revelationibus hac via sibi traditis fidem adhibere minime tenentur. At, si revelatio a Deo vere processerit, cum eam non nisi in commune bonum fecerit, ei extrinsecis subsidiis, et præsertim miraculis et vaticiniis, fidem conciliabit; et si hæc motiva credibilitatis omnino desint, nemo sane revelationem aliquam affirmanti assensum præbere tenebitur.

Obj. : Ordo supernaturalis ordini naturali perfecte coaptari et respondere debet. Atqui Deus veritates naturales singulis hominibus per rationem demonstrat. Ergo congruentius est ut singulis per revelationem privatam veritates supernaturales aperiat. — *Subsumo.* Atqui repugnat Deum media minus congruentia præferre. Ergo revelatio mediata impossibilis est.

Resp. Conc. maj. sic intellectam, quod elevatio totius naturæ humanae ad ordinem supernaturalem fiat per media singulis ejus facultatibus respondentia, quæ sunt non tantum interna, sed etiam externa, sicut fit et in ordine naturali. — *Dist. min.* Deus veritates naturales singulis hominibus demonstrat per rationem, non tantum spectaculo suorum operum admonitam, quo *invisibilia ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta*

conspiciuntur, Rom., 1, 20; sed etiam et necessario per disciplinam quam ab institutoribus accipiunt, primum ut veritates primarias percipere possint, deinde ut in eis proficiant et admixtionem erroris vitent: in hoc sensu *conc.* Nego vero Deum sic veritates naturales cuicunque homini privato ita demonstrare per rationem, ut solus et absque quolibet adjutorio homo possit omnes veritates naturales apprehendere, ordinare et tuto possidere. Probavimus, ex S. Thoma, in tract. *de Deo creatore*, diss. IV, art. 13, quod pueri in statu innocentiae non fuissent nati perfecti in scientia, sed tantum facile processu temporis eam acquisivissent. Etiam tunc ergo educatoribus indigissent. Quidni iisdem indigent in statu naturæ lapsæ, in quo et sensus exteriores jam non sunt integri, et ingenium nativæ suæ perspicacitatis debilitatem notabilem passum est? Inde multigeni errores, in quos, non tantum privati homines, sed genus humanum fere totum lapsum est, ubicumque divina revelatio etiam veritates naturales luce sua non respersit. Nonne timendum esset ne homines qui ratione sua, quæ tamen a Deo ipso procedit, tam luctuose abusi sunt, privatis revelationibus pariter abuterentur, si Deus singulis mysteria sua manifestare dignaretur? Aliunde plurimi a Deo ea se accepisse affirmarent, quæ non essent nisi proprie mentis deliria, ac totidem possent esse religiones, quot capita. Hoc exitiosissimum malum Deus sapientissime præcavit, per selectos homines veritates altissimas aliis manifestando, præconum suorum missionem signis vere divinis testificans. Ergo, quamvis aliter finem suum absolute obtinere potuerit, ita agendo vere se conditioni hominis lapsi accommodavit, ita ut objectioni in hoc fiat satis. — Et sic antevertitur illatio sequens.]

ARTICULUS IV

Utrum veritatum captum nostrum excedentium, seu mysteriorum, possibilis sit revelatio?

[Mysterium, seu res arcana, est veritas longe ab intelligentia nostra disjuncta: non quidem eo sensu quod plane

nos lateat, cum ejus terminos vere cognoscamus, sed quod terminorum ejus nexum non assequamur, quo fit ut eam minime comprehendamus. Negant deistæ mysteria a Deo posse revelari. Contra quos.

Resp. affirmative.

Prob. Etenim dantur veritates mentis nostræ aciem superantes. Ergo Deus potest eas revelare.

Mysterium existit quoad nos, etiam in ordine naturali.

Hominem anima et corpore ad invicem unitis constare, certum est. Qua vero ratione confletur compositum ex hac unione resultans, et quomodo anima in corpus, vicissimque corpus in animam influat, hæc intelligentiam nostram plane pretereunt. Quamvis corpora nobis sint magis obvia, illorum naturam int̄imam determinare nunquam philosophis licuit. Quantumvis progressi fuerint physici in cognitione naturæ, legum viriumque quas deprehenderunt causas primas assignare non potuerunt. Unde qua late patet, hæc rerum universitas mysterium est. Porro, creatura omnis, etsi incomprehensibilis, est finita. Quidni igitur dentur ejusmodi veritates in Deo, cuius natura non intelligitur nisi ut infinita? Ergo dantur veritates mentis nostræ aciem superantes.

Jamvero quid obstare potest quominus Deus alias ex his veritatibus nobis manifestet, si ita sibi placuerit, sive ad exercendam fidem nostram, sive ad capiendum nostri erga eum obsequii atque obedientiæ experimentum? Nulla profecto ex hac parte percipitur repugnantia. Ergo Deus has veritates potest nobis revelare.

Obj.: Deus non potest homini revelare quod homo non potest admittere. Atqui homo non potest admittere nisi quod ratio evidenter verum esse demonstrat, et talia non sunt mysteria. Ergo Deus ea revelare non potest.

Resp. Transeat major, vel etiam eam concedo. Etenim supponi non potest Deum revelare homini aliquid quod homo ex quolibet motivo non possit admittere. *Dist.* min. Homo non potest admittere nisi quod ratio verum esse demonstrat evidenter vel intrinseca vel extrinseca, *conc.*;

intrinseca tantum, *nego*. Si enim non deberet admitti nisi quod est intrinsece evidens, plurimæ veritates naturales rejicerentur; nam, si eas funditus scrutari tentemus, brevi mysterium aliquod occurrit, quod inquisitioni nostra finem imponit. Non mirum est ergo, si veritates ad ordinem supernaturalem pertinentes non sint intrinsece evidentes, utpote captūm rationis nostræ excedentes. Si vero termini earum intelligentur, et factum historicum revelationis divinæ probetur, ex motivo extrinseco evidenter credibiles fiunt, scilicet propter autoritatem Dei eas manifestantis. Et hoc sufficit ut adhæsio mentis sit, non tantum rationabilis et legitima, sed prorsus obligatoria.

De revelationis supernaturalis possibilitate et convenientia ita decernit synodus Vaticana, *de Revelatione*, can. 2 et 3: « Si quis dixerit, fieri non posse, aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo cultuque ei exhibendo edoceatur; anathema sit. » — « Si quis dixerit, hominem ad cognitionem et perfectionem quæ naturalem supereret divinitus evahi non posse, sed ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem, iugi profectu, pertinere posse et debere; anathema sit. »]

ARTICULUS V

Utrum divina revelatio fuerit necessaria?

[Jam animadvertisimus objectum revelationis esse posse vel veritates ordinis humanae ratione superioris, cuiusmodi mysteria esse diximus, necnon ea quæ a libera Dei voluntate pendent, quæque, seposita revelatione, ab homine cognosci nullimode possent; vel veritates quæ rationis humanæ limitibus continentur.

Duplex in hac materia intelligitur necessitas, *absoluta* scilicet, fundata super incapacitatem totalem rationis humanæ ad alicujus generis veritatum cognitionem assequendam, et *moralis*, quæ supponit tantum magnam dif-

ficultatem in veritatibus alterius generis sufficienter intellegendis.

Hac dupli distinctione posita,

Dico 1º : Absolute necessaria fuit divina revelatio, ut homo veritates supernaturales cognosceret. Et hæc necessitas non est nisi hypothetice absoluta, ut patet, scilicet supposito fine supernaturali a Deo homini præstituto, quem Deus præfixit secundum beneplacitum ejus quod proponuit in eo, ut loquitur Apostolus, *Ephes.*, I, 9.

Prob. ex S. Thoma, *I Contra gentes*, cap. 5 : « Quia, inquit, ad altius bonum quam experiri in præsenti vita possit humana fragilitas homines per divinam providentiam ordinantur, oportuit mentem evocari ad aliquid altius quam ratio nostra in præsenti possit pertingere, ut sic disceret aliquid desiderare, et studio tendere in aliquid quod totum statum præsentis vitæ excedit...

» Est etiam necessarium hujusmodi veritatem ad credendum hominibus proponi, ad Dei cognitionem veriorum habendam. Tunc enim solum vere Deum cognoscimus, quando ipsum esse credimus supra omne id quod de Deo cogitari ab homine possibile est, eo quod naturalem hominis cognitionem divina substantia excedit. Per hoc ergo quod homini de Deo aliqua proponuntur quæ rationem excedunt, firmatur in homine opinio, quod Deus sit aliquid supra id quod cogitari potest...

» Et ideo, quamvis ea quæ supra rationem sunt ratio humana plene capere non possit, tamen multum sibi perfectionis acquiritur, si saltem ea qualitercumque teneat fide. Et ideo dicitur : *Plurima supra sensum hominis ostensa sunt tibi, Eccli.*, III, 25. Et : *Quæ sunt Dei nemo novit, nisi Spiritus Dei...* Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum, *I Cor.*, II, 10 et 11.

Hanc necessitatem hypothetice absolutam adstruit synodus Vaticana, constit. *Dei Filius*, cap. 2, *de Revelatione*. Postquam docuit quod ex divina revelatione veritates naturales « firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possunt, » addit : « Non hac tamen de causa

revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina, quæ humanæ mentis intelligentiam omnino superant, siquidem *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum, I Cor.*, II, 9. »

Cum cognitio veritatum quæ captum naturalem humanæ rationis excedunt, homini concessa non fuerit nisi in ordine ad finem supernaturalem a Deo nobis præfixum, sequitur hunc finem primum locum logice tenere in hujusmodi veritatibus, si excipias existentiam Dei, quæ, ut infra dicetur, pertinet simul primario ad rationem et secundario ad fidem. Hoc testatur Paulus, *ad Hebr.*, XI, 6, dicens : *Credere oportet accendentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerat sit.* Postea veniunt mysteria quæ manifestant, vel vitam intimam Dei, cuius contemplatione fruemur in cœlis, scilicet Trinitas; vel media quibus hominem, a fine suo supernaturali devium per peccatum originale, Deus ad hunc finem reducit, nempe incarnatio Verbi et redemptio, necnon Ecclesia, sacramenta et alia hujusmodi ad congruum et verum cultum Dei pertinentia : quæ omnia homo solo lumine naturali instructus nequidem suspicatus esset.

Dico 2º : Moraliter necessaria fuit revelatio divina, ut homo veritates naturales firmâ certitudine et nullo admixto errore cognoscere posset.

Prob. 1º ex Scriptura sacra. *Sap.*, XIII, 1, 2, 6, 7, 10 : *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, et de his quæ videntur bona non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes, agnoverunt quis esset artifex ; sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem et lunam, rectores orbis terrarum deos putaverunt... Et hi enim fortasse errant, Deum quarentes et volentes invenire. Etenim cum in operibus illius conversentur, inquirunt, et persuasum habent quoniam bona sunt quæ videntur... Infelices autem sunt, et inter mortuos spes illorum est, qui appell-*

laverunt deos opera manuum hominum... et similitudinem animalium. Deinde, lepidissime demonstrata absurditate idololatriæ, sapiens enumerat et acerrimis notis compungit multiplicitia sceleræ ex ea nata. *Rom., 1, 18-22: Revelatur ira Dei de cælo, super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum qui veritatem Dei in injustitia detinent, quia quod notum est Dei manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas: ita ut sint inexcusabiles; quia, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Ibi Apostolus, asserta revelatione naturali per rationem, ostendit eam fuisse prorsus insufficientem ut homines in vera Dei cognitione starent, et ei cultum competentem exhiberent: unde necessitas moralis novæ et supernaturalis revelationis demonstratur, sicut et in textu precedenti. Plura alia testimonia e sacris litteris erui possent.

Prob. 2º ex concil. Trident., sess. v, can. 1 et 2: « Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiſo fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse..., totumque Adam, per illam prævaricationis offensam, secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse; anathema sit. » — « Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, et non ejus propagini, asserit nocuisse...; anathema sit. » Ex quibus sequitur Adam et ejus posteros, non tantum dona supernaturalia per peccatum amisisse, sed etiam in facultatibus et potentiis ipsi naturæ inhærentibus, et consequenter in intellectu et ratione naturali « in deterius commutatos fuisse; » unde, sibi deroicti, veritates etiam naturales jam non possunt satis lucide percipere, et firma certitudine, nullo admixto errore, cognoscere.

Prob. 3º rationibus a Doctore Angelico eximie deduc-tis, I Contra gentes, cap. 4: « Hoe, inquit, de illa [veritate]

ostendendum est, quæ inquisitioni rationis pervia esse potest: ne forte alicui videatur, ex quo ratio haberi potest, frustra id supernaturali inspirationi credendum traditum esse.

» Sequerentur tamen tria inconvenientia, si hujusmodi veritas solummodo rationi inquirenda relinqueretur.

» Unum est, quod paucis hominibus Dei cognitio inest. A fructu enim studiosæ inquisitionis, qui est veritatis inventio, plurimi impediuntur tribus de causis.

» Quidam siquidem impediuntur propter complexionis indispositionem, ex qua multi naturaliter sunt indispositi ad sciendum. Unde nullo studio ad hoc pertingere possent, ut summum gradum humanæ cognitionis attingerent, qui in cognoscendo Deum consistit.

» Quidam vero impediuntur necessitate rei familiaris. Oportet enim esse inter homines aliquos qui temporalibus administrandis insistant, qui tantum tempus in otio contemplativæ inquisitionis non possent expendere, ut ad summum fastigium humanæ inquisitionis pertingerent, scilicet Dei cognitionem.

» Quidam autem impediuntur pigritia. Ad cognitionem enim eorum quæ de Deo ratio investigare potest, multa præcognoscere oportet, cum fere totius philosophiæ consideratio ad Dei cognitionem ordinetur. Propter quod metaphysica, quæ circa divina versatur, inter philosophiæ partes ultima remanet addiscenda. Sic ergo nonnisi cum magno labore studii ad prædictæ veritatis inquisitionem perveniri potest: quem quidem laborem pauci subire volunt pro amore scientiæ, cuius tamen mentibus hominum naturalem Deus inseruit appetitum.

» Secundum inconvenientia, quod illi qui ad prædictæ veritatis cognitionem vel inventionem pervenirent, vix post longum tempus pertingerent, tum propter hujusmodi veritatis profunditatem, ad quam capiendam per viam rationis nonnisi post longum exercitium intellectus humanus idoneus invenitur; tum etiam propter multa quæ præexiguntur, ut dictum est; tum propter hoc quod, tempore juventutis, dum diversis motibus passionum

anima fluctuat, non est apta ad tam altæ veritatis cognitionem, sed in quiescendo fit prudens et sciens, ut dicitur in VII *Physicorum*, c. 3. Remanceret igitur humanum genus, si sola rationis via ad Deum cognoscendum pateret, in maximis ignorantiae tenebris, cum Dei cognitio, quæ homines maxime perfectos et bonos facit, nonnisi quibusdam paucis, et his paucis etiam post temporis longitudinem, proveniret.

» Tertium inconveniens est, quod investigationi rationis humanæ plerumque falsitas admiscetur, propter debilitatem intellectus nostri in judicando et phantasmatum permixtionem. Et ideo apud multos in dubitatione remanerent ea quæ sunt verissime etiam demonstrata, dum vim demonstrationis ignorant, et præcipue cum videant a diversis qui sapientes dicuntur diversa doceri. Inter multa etiam vera quæ demonstrantur, immisceetur aliquando aliquid falsum quod non demonstratur, sed aliqua probabili vel sophistica ratione asseritur, quæ interdum demonstratio reputatur. Et ideo oportuit, per viam fidei, fixa certitudine, ipsam veritatem de rebus divinis hominibus exhiberi.

» Salubriter ergo divina providit clementia, ut ea etiam quæ ratio investigare potest fide tenenda præciperet, ut sic omnes de facili possent divinæ cognitionis participes esse, et absque dubitatione et errore.

» Hinc est quod dicitur: *Jam non ambuletis sicut et gentes ambulant, in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, Ephes. IV, 17 et 18.* Et: *Ponam universos filios tuos doctos a Domino, Is., LIV, 13.* »

Idem docet synodus Vaticana, constit. *Dei Filius*, cap. 2, de *Revelatione*: « Saneta Mater Ecclesia tenet et docet, Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanæ rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse; *invisibilia enim ipsius, a creaturam mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, Rom., I, 20*: attamen placuisse ejus sapientiæ et bonitati, alia, eaque supernaturali via, seipsum ac æterna voluntatis suæ decreta humano generi revelare, dicente Apostolo: *Multifariam*

multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime, diebus istis, locutus est nobis in Filio, Hebr., I, 1 et 2.

» Huic divinæ revelationi tribuendum quidem est, ut ea quæ in rebus divinis humanæ rationi per se impervia non sunt, in præsenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint. » In præsenti ergo conditione, nempe intellectu humano per peccatum debilitato et non parum obscurato, nisi divina revelatione illustraretur et firmaretur, ratio humana non expedite, non firma certitudine, et non multo admixto errore, etiam ea quæ in rebus divinis ipsi per se impervia non sunt non cognosceret. Unde exsurgit necessitas moralis divinæ revelationis. Quæ sint autem notæ divinæ ac supernaturalis revelationis, dictum est in tractatu de *Fide*, dissert. II, ubi ut motiva credibilitatis religionis Christianæ assignantur vaticinia prophetarum, miracula et modus mirabilis et plane divinus quo Religio Christi fuit fundata et propagata.]

DISSERTATIO II

DE SCRIPTURA SACRA

ARTICULUS I

Quid sit et an sit Scriptura sacra?

DICO 1º: Scriptura sacra est verbum Dei scriptum. Intellige τὸ *Dei* non per modum puri genitivi, ut cum dicitur *liber Petri*, sed per modum genitivi causantis, ut cum dicitur *lex Casaris*.

Itaque τὸ *verbum Dei*, in hac definitione, est genus in quo convenit Scriptura sacra cum *traditionibus*; per hanc autem particulam, *scriptum*, ab illis differt. Quamvis enim traditiones possint scripto mandari, vel a Patribus, vel a